



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio II. De applicatione ad credendum per Imperium Voluntatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

tio prout attendit ad motiva credibilitatis suo modo, potest dici clara, in quantum attendit suo modo ad veritatem primam, potest dici obscura: sicut & ipsa veritas prima obscure testatur.

NOTO Quartò. Qualis sit processus illius illuminationis. Proponuntur motiva credibilitatis, quæ intellectus iudicat esse evidentia; quia verò illa evidentia per ordinem ad imperium voluntatis, quod debet esse supernaturale, non est proportionata, subsequitur insimul illuminatio Spiritus S. dictans, esse honestum elici illud imperium, in circumstantia illorum motivorum credibilitatis, iudicii que de illis, postea subsequitur imperium quod elicit voluntas imperando actum fidei, & simul etiam illuminatio Spiritus S. repræsentat intellectui honestatem eliciendi illius actus, propter motivum, quod est veritas prima. Nam simpliciter voluntas non potest imperare actum talem, sine repræsentatione rationis seu motivi, alias vellet intellectum moveri ad iudicium sine motivo iudicii, & hoc motivum repræsentat illuminatio Spiritus S. de quo vide copiosius Rip. d. 14. S. 1.

NOTO Quintò. Non dari in nobis actu, habitum, per modum potentie ad illam illuminationem Spiritus S. quia nullum est fundamentum ponendi tales habitus: Sicut etiam in naturalibus non datur habitus qui sit cogitationum bonæ fortunæ. Unde producantur ab intellectu, hic & nunc elevato. Sicut etiam pro iudicio circa motiva credibilitatis, non datur ullus habitus, sed illud elicit intellectus, sicut & alios actus ex motivis evidentibus. An autem generari debeat postea habitus aliquis facilitativus, ad illud iudicium de motivis credibilitatis, pendet ex materia de Habitibus.

QUÆSTIO II.

De applicatione ad credendum per Imperium Voluntatis.

Sicut Volitio sequitur Intellectionem, ita applicatio per volitionem, sequitur applicationem, quæ fit per intellectionem. *De qua fit*

DIFFICULTAS I.

An actum fidei antecedere debeat Imperium Voluntatis?

DICENDUM est. Quod actum fidei, debeat antecedere actus voluntatis. Est communis apud Lug. d. 10. S. 1. Amicum d. 10. S. 5. Kon. d. 13. dub. 4.

PROBATUR Primò Auctoritate Trident. Sess. 6. can. 6. dicit homines disponi ad Iustitiam, dum inquit excitati Divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè morventur in

Deum, credentes, vera esse, quæ Divinitus revelata & promissa sunt. Similia habet Arausic. 2. can. August. tr. 26. in Joan. Multa inquit potest fuisse homo non volens, credere autem non potest nisi persuasus.

PROBATUR Secundò. Quando aliqua potentia non habet prærequisita ad agendum, si agat, illorum prærequisitorum debet esse aliquod supplementum, hoc ipso enim non esset prærequisitum, si illo non posito, posset fieri actio, ut etiam ostendit Inductio. Sed intellectus ut assentiatur certo, requirit evidentiam, ut etiam ostendit Inductio, & resolvitur in hoc principium: quia intellectus in assensu certo intendit veritatem, quæ non est nisi ratione principiorum, vel veritatis in se attractæ, quod utrumque evidentiam importat: Quia autem in motivo fidei, deest evidentia, debet esse aliquid illius supplementum, hoc aliunde peti non potest, nisi à solo imperio voluntatis. Cum enim in se non habeat hoc complementum intellectus, ab alia potentia vendicare illud debet, quæ non alia, nisi voluntas.

PROBATUR Tertiò. Quia propter motivum probabile, cum in se certum sit, non assentitur certo intellectus, nisi accedat imperium voluntatis. Ergo & in præsentem idem dicendum: non enim minus una conditio requiritur ad assensum certum, quam alia.

OBJICITUR Primò. Non habet vim determinandi intellectum voluntas, quia illa determinatione intellectus extraheretur extra speciem sui objecti: extrahi autem extra speciem sui objecti non potest. Sequela autem probatur quia objectum intellectus est verum, voluntas autem non potest ponere, nec augere, veritatem objecti.

RESPONDETUR. Non determinati intellectum à voluntate tenente se determinatione à parte objecti, hoc enim est solum verum, quod non adfert voluntas. Sed determinatione per modum inclinantis, impellentis, rogantis &c. Censet quidem Cajet. quod voluntas intellectui possit imperare assensum sine ullo motivo; sed hoc falsum esse, in superioribus etiam dictum.

INSTABIS. Ponamus proponi ab intellectu motiva credibilitatis evidentia, & non proponi ullò modo rationes in oppositum, adeoque non attendere intellectum ad rationem falsi, quæ posset subesse, cur tunc elici non poterit actus fidei, sine ullo imperio voluntatis.

RESPONDETUR. Etiam non propositis ulla modo rationibus in oppositum, requireretur imperium voluntatis ad fidem: quia assensus nominis ipsi motivis credibilitatis, facilitatur per hoc, quia non ponuntur rationes in oppositum, sed ipsum motivum actus fidei, non adfert adhuc prærequisite evidentiam, quam deponit intellectus certo assentiens. Si non adfert illud prærequisitum, debet omnino quæri illius supplementum, quod non aliud, nisi imperium voluntatis.

INSTAT

R. P.
THE MŁOD
zianowski
Tom. 1. c. 2.
D. VI

INSTAT Secundò. Fieri potest, ut quod non est summum bonum, imò in re ipsa admistum multis imperfectionibus, necessiter tamen ad sui amorem, casu quo in oppositum nulla appareat ratio, ut fit in motibus primis. Ergo & id in presenti dicendum, casu quo nulla occurrat ratio, contra id, quod hoc Deus dixerit.

RESPONDETUR. Disparitatem esse: quia ut ponatur ille amor, nullum deest praequisitum, tam à parte intellectus quam à parte voluntatis; quod enim illud? Quamvis autem non occurrant rationes, contra Ly Deus dixit; quia tamen Ly Deus dixit, non apparet tanquam evidens, defectus illius evidentiae aliunde suppleri debet, & hoc est, nonnisi imperium.

INSTABIS Tertiò. Intellectus nonnisi veritate movetur; quam tamen non promittit voluntas. Ergo ab illa, ad assentiendum, non determinabitur, praeputè, si non occurrant rationes in oppositum.

RESPONDETUR. Determinare voluntatem non determinatione tenente ex parte objecti, sed extrinsecè & allicitivè.

OBJICITUR Secundò Scriptura & Aristoteles. Scriptura quidem quæ dicit demones credere & contremiscere, & tamen illi non habent piam affectionem. Arist. autem dicit 2. de An. c. ult. t. 57. posse nos phantasiari cum volumus, opinari autem non ita.

RESPONDETUR. Quod attinet ad demones, illi non credunt cum pia affectione: quia hæc est ut suppono supernaturalis, adeoque non requisita ad actum naturalem fidei, qualem habent demones. Sed etiam in illis datur imperium voluntatis: idque ex eo; quia quamvis motiva credibilitatis melius apprehendant præ nobis, constatque illorum collectioni, quod hoc miraculum sit verum, à Deo vel Angelis profectum, cum norit tota illorum collectio, quod nec natura id patrarit, nec ipsi; hinc ad formandum iudicium de motivis credibilitatis magis necessitantur: quia tamen illa motiva non reddunt motivum fidei evidens, sed destitutum hac conditione requisita ad assensum certum, qualis est in illis, illius fidei, fit, ut indigeant suppletivo illius evidentiae, quod est voluntas. Ad auctoritatem Aristotelis quod attinet, ille non plus vult, quam quod diximus contra Cajet. nempe sine ratione proposita, non posse moveri intellectum, per solum imperium voluntatis.

OBJICIUNTUR Tertiò Paritates.

PRIMA Paritas est. Assensus fidei humanæ vel opinionis, potest elici sine imperio voluntatis. Antecedens docet Kon. hic disp. dub. 14. n. 40. & Probatur. Quia etsi medium opinionis aut fidei humanæ, non probet sua objecta esse evidenter vera, probat tamen clarè, ea esse evidenter probabilia. Ergo intellectus ab illius evidentia determinatur. Antecedens probatur: quia sicut ratio evidenter certa, facit suam con-

clusionem evidenter certam, ita ratio evidenter probabilis, evidenter facit suam conclusionem probabilem, si nulla ratio contrarium suadeat; Ergo sicut quando habeo rationem evidenter certam, Conclusio apparet nobis evidenter certa, ita quando habeo rationem evidenter probabilem, Conclusio apparet mihi suo modo evidens. Ergo & intellectum, ad probabilem assensum determinans.

RESPONDETUR. Quia in casu Antecedentis cum non exhibeatur assensus certissimus, sed talis, qui habeat omnia praequisita, & non indigens aliunde suppleri: Nam evidens est, esse probabile, quod est evidenter probabile; hinc fit, ut non indigeat intellectus imperio voluntatis, secus in presenti: exhibendus enim est assensus certissimus, qui non habet aliunde praequisitum. Unde praequisitum illud debet aliunde suppleri, hoc est ab imperio voluntatis, ut dictum.

SECUNDA Paritas est. Potest aliquis post acquisitionem habitum conclusionis propter præmissas, assentiri eidem sine actualibus præmissis. Ergo etiam posito habitu acquisito fidei, poterit aliquis prodire in actum fidei, sine ullo imperio voluntatis.

RESPONDETUR Lugo. In casu Antecedentis, intervenire aliquid, quod supplet defectum actualium præmissarum, nempe memoriam saltem consulam præmissarum. Non potest autem ostendi, quid suppleat defectum illius imperii, ut habito illo supplemento, possit prodire fidelis in assensum fidei. Deinde si sit assensus conclusioni quæ propositio est, potest esse sine memoria ulla præmissarum, quia prout propositio est, non habet ullam connexionem cum illis. Jam autem assensus intellectualis certus, habet connexionem cum evidentia, quæ si non adsit, debet saltem intervenire suppletivum illius; & hoc certè non aliud, quam imperium. Si autem assensus sit conclusioni ut conclusio est, requiritur attendentia etiam ad præmissas; hoc ipso enim non esset assensus conclusioni, ut conclusio est; quia ipsa conclusio formatur per Ly. *Eò quod hæc sint.*

DIFFICULTAS II.

Resolvuntur quæ sita de eodem Imperio.

QUÆRES Primò. *An possibile sit, ut sine ullo imperio voluntatis, eliciatur actus fidei?*

ASSERO. *Possè id fieri*, est assertum Amici cit. num. 82. & Kon. num. 44.

RATIO. Tum quia id non implicat. Tum quia voluntas concurrat ad actum fidei merè determinando ad positionem actus fidei, tales autem determinationes, in aliis similibus, potest Deus facere: determinando v. g. ut hoc cogitetur, cum aliàs occurrentia objectorum, potuisset determinare, ad sui cogitationem. Tum quia

(o) 2

potest

potest DEUS ponere qualitatem prædeterminantem & necessitatem physicè, & non expectare determinationem ponendam à voluntate. Ergò & in præfenti, poterit Deus determinare ad actum fidei.

DICES. Non potest Deus supplere cognitionem repræsentantem objectum voluntati: Ergò nec poterit supplere determinationem oriundam à voluntate imperante actum fidei: non potest item Deus supplere vitalitatem. Ergò nec determinationem illam, quâ determinat Deus, ad actum fidei.

RESPONDETUR. Negari posse Antecedens. Consequentia etiam non tenet, quia datur Axioma. Nihil volitum nisi cognitum. Nulum autem simile principium est, quod dicitur, non posse aliunde determinari intellectum ad actum fidei, quàm à solo imperio. Vitalitatem etiam Deus non potest supplere, quia supplendo, facit, ne sit ab intrinseco, adeoque ne sit quid vitale. Mortuo tamen modo potest supplere. Quod ad præfens applica, quòd possit supplere determinationem oriundam à voluntate, sed non vitaliter.

QUÆRES Secundò. *An hoc imperium sit necessarium, quantumvis accedat evidentia, quòd Deus sit verax, & quòd hoc dixerit?*

ASSERO Primò. *Quantumvis evidens sit alicui Metaphysicè, quòd Deus non possit fallere, & sit evidens physicè quòd id dixerit, adhuc erit necessarium imperium voluntatis, in ordine ad assensum fidei.* Ut intelligatur Assertum. Casu quo essent istæ evidentia, duplex posset actus elici. Primò Certus certitudine physica vel Metaphysica, & ad hunc actum, non est necessarium imperium: quia neque est necessarium ad alios similes actus. Secundò posset elici actus fidei, & ad hunc actum, est necessarium imperium voluntatis, deque hoc actu procedit nostrum Assertum, contra Pont. d. 27. num. 21.

RATIO. Quia illa evidentia non est summa, nec proportionata certitudini, & tamen elici debet actus certissimus. Ergò defectus ille proportionata evidentia, dare poterit locum, alicui ejus suppletivo, quòd non aliud, nisi dictum imperium.

DICES cum Pontio. Illa evidentia physica, facit, ut evidens sit credenti, quòd res revelata sit vera. Ergo tam benè determinabitur ad judicandum quòd sit vera, quàm determinabitur ad judicandum, quòd conclusio sit scientificè vera.

RESPONDETUR. Quòd attinet ad Antecedens, cum tunc res revelata non sit evidens evidentiâ summâ, sed non nisi non summâ, sicut relinquit locum actui fidei, ita relinquit etiam locum imperio. Paritas etiam non urget petita ex scientifico motivo: quia in assensu scientifico, proportionatur certitudo evidentia, hinc non relinquitur quidquam supplebile ab imperio.

Jam autem in præfenti, non proportionatur evidentia certitudini, consequenter relinquit locum suppletivo.

QUÆRES Tertiò. *An voluntas imperium actum fidei, debeat esse libera vel necessaria?*

ASSERO Primò. *Pro alio statu voluntas imperans actum fidei, potest esse necessaria.*

RATIO. Quia id non implicat; beneque differentia illa intellectus ad ponendum actum fidei, potest à necessario imperio auferri, quod enim prodest libertas ad illam determinationem: imò videtur potius aliquomodo, ad illam non conferre. Et sicut voluntas potest seipsum liberè determinare, potest etiam determinari necessariò. Cur ergo intellectum non poterit etiam necessaria voluntas determinare?

ASSERO Secundò. *Etiā pro præfenti statu, posse esse imperium à voluntate necessitatè, necessitatè quidem ad imperandum assensum, non tamen ad imperandum assensum fidei Divina, seu super omnia.*

RATIO, Prioris partis est. Quia etiam pro præfenti statu, positus motus credibilitatis illorumque assensu, possunt non occurrere rationes in oppositum, etiam pro suspensione imperii. Ergo tunc voluntas necessitabitur, ut imperet assensum, siquidem non habet præluculentiam ut non imperet assensum. Posterioris partis

RATIO est. Quia ad hoc imperetur assensus super omnia, non habetur principium determinans, quia nec habetur evidentia summa & proportionata certitudini, quæ est requisita ad assensum super omnia. Et hoc prærequisitum aliunde debet suppleri, nempe ab imperio voluntatis.

ASSERO Tertiò. *Pro præfenti statu, ordinari imperari actum fidei, à voluntate non necessitate, ad imperium actus fidei.*

RATIO. Quia PP. & Concilia docent fidem nostram esse meritariam. Ergò debet esse libera; & cum non sit in se libera, debet esse ratione alijs, adeoque ratione illius imperii libera. Cumque pro præfenti statu motivum fidei non præfentetur evidens, evidentiâ, certitudini proportionata, non habetur determinativum, necessitans ad illud imperium actus certissimi.

DICES Primò. Eadem Charitas potest principiare & actus necessarios in cælo, & actus liberos in via. Ergo etiam idem habitus piæ affectionis, posset principiare & imperium necessarium & liberum actus fidei.

RESPONDETUR. Quòd possit dari talis habitus piæ affectionis, de hoc in præfenti non disputatur, sed iudicatur non esse fundamentum quòd detur defecto. Paritas de Charitate non valet, quia colligitur ex auctoritate, quòd Charitas non evacuetur; hinc talis debuit provideri à Deo, quæ esset principiativa actuum amoris, etiam necessarios. Nihil autem simile habemus de pia affectione necessaria.

DICES Secundò ex Rip. cit. num. 44. Per se magis exigunt libertatem affectus virtutum quam

R. P.
THE MLOD
zianowski
Tbm de Z:
D. VI

quàm assensus fidei, & tamen virtutum affectus, possunt fieri absque libertate. Ergò & assensus fidei, idq; etiam pro presenti ordine, interdum.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia si ponantur actus indeliberati aliarum virtutum, habetur sufficiens fundamentum necessitatis illorum actuum, licet deficient illos actus à ratione liberi & meritorii, nempe presentatio bonitatis, & non presentatio rationum in oppositum. Jam autem presentatis motivis credibilitatis, & non presentatis motivis in oppositum, habetur quidem sufficiens fundamentum, ut hoc iudicetur evidens moraliter, non presentatur tamen illud motivum tanquam evidens evidentiâ proportionatâ actui certissimo. Hinc ut exeat in actum fidelis, debet evidentiâ esse suppletivum: quod non aliud est, nisi imperium voluntatis. Cæterum possent concedi etiam in fide, actus qui sunt indeliberati, seu primæ apprehensiones fidei, possentque appellari inchoativè fides.

DICES TERTIO. Actus Charitatis interdum possunt fieri ex sola apprehensione supernaturali, quæ non potest imperari liberè, & tamen illæ apprehensiones erunt actus fidei.

RESPONDETUR. Ex dictis illas apprehensiones fore fidei inchoativè, non completè sumptæ.

DIFFICULTAS III.

An imperium illud voluntatis, sit in entitate Supernaturale?

ESSE illud supernaturale communiter docetur cum Molina, Hurt. Gran. Lugo cit. n. 31. Kon. n. 48. contra Scotistas, & post illos contra Pont. qui illam voluntatem dicunt esse, non nisi quoad modum supernaturalem d. 18. num. 25.

DICENDUM EST. *Voluntatem credendi, esse supernaturalem in substantia.* Hujus supernaturalitatis rationem reddere difficilius est. Plures in ante excogitatas, solvunt Lugo & Amicus. Cæterum etiam ea ratio quæ utitur Lugo, non convincit. Quia quamvis probet obsequium intellectuale, quod exhibetur à fide, non posse imperari nisi à voluntate subiacendi intellectum Deo, quæ voluntas non potest esse mala. Non probat tamen quod illa voluntas, non possit esse naturalis. Siquidem naturalis voluntas & supernaturalis obiectis non differunt. Quod autem addit habere Deum paratum concursum, ut quotiescunque de re salutis agitur, offerat concursum supernaturalem; id eo sensu verum est, si aliàs sit necessitas supernaturalis ad illud actum, quæ necessitas in presenti unde habeatur, de hoc ipso quaeritur.

Amici etiam Ratio non convincit: quia prior pars illius, probat fidem debere esse supernaturalem, & non procedit quod imperium illud debeat esse supernaturale: sufficietque quod di-

catur sola præcisè fides, & non imperium illius, esse actus proportionatus sanctitati. Posterior etiam illius pars non convincit: quia licet fides sit dispositio libera ad iusticiam, non est tamen necesse, ut ipsum illud, ratione cuius illa dicitur libera, sit supernaturale, aliàs etiam iudicium de motivis credibilitatis, quod est prærequisitum ante ipsum exercitium libertatis, deberet esse supernaturale, quod negat Amicus. *Hinc aliter*

PROBATUR Conclusio. Auctoritate Sacra. Quia PP. & Concilia ad hanc voluntatem requirunt gratiam & adiutorium Dei, quæ phrasi solent PP. explicare supernaturalitatem in substantia. Jam autem Arausicanum 2. can. 5. docet non solum initium fidei, sed & ipsum credulitatis affectum, esse à Deo. Innuitque S. Thomas 2. 2dæ quæst. 2. art. 9. *Ipsū inquit, credere, est actus intellectus, assentientis revelationi Divine, ex imperio voluntatis, à Deo mota per gratiam.* Ex quo formatur Argumentum. Illi actus qui non possunt fieri, nisi ex gratia per Christum, vel ex gratia sine addito, sunt supernaturales in substantia. Sed ad volitionem credendi hoc requiritur, ut vidimus. Ergò. Quia autem hanc quaestionem ita tractant Auctores, ut simul etiam discurrant, an à voluntate mala, possit imperari actus fidei: *Hinc circa id*

NOTO. Immediatam voluntatem, & præcisè imperium credendi, impossibile est esse malum, licet mediatum imperium, possit esse malum.

RATIO. Quia præcisè spectatum imperium credendi respicit honestatem credendi: in quantum enim illam non respiceret, hoc ipso non esset præcisè imperium. Honestas autem credendi, est intrinsecè bona, hinc etiam, constituet actum quem specificat, intrinsecè bonum. Posterioris Ratio est: quia potest aliquis moveri ad ipsum illud imperium, sine aliquo inhonesto. Casu autem, quo aliquis ex duplici motivo moveretur ad credendum, eoque in unum actum compaeto, non posset esse ille actus supernaturalis in substantia, ut dictum in simili in Animastica, diversoque esset respectu bonus, diverso malus, ut dictum in simili de Actibus humanis.

OBJICIT PRIMò Pontius. Nulli dantur habitus per se infusi, præter tres Theologicos, quod non esset verum, si hæc volitio esset supernaturalis in substantia: quia si esset, proveniret ab aliquo habitu per se infuso, non autem ab ullo ex illis tribus. Si enim ab aliquo proveniret, maxime proveniret à charitate, sed non potest provenire à charitate: quandoquidem omnis actus charitatis infusus, præsupponit actum supernaturalem fidei, cum contra hæc volitio, præsupponatur omni actui fidei.

RESPONDETUR. Non satis liquere cur assumat Pontius illam Majorem. Non sunt habitus per se infusi nisi tres; si enim procedat de habitibus respicientibus pro objecto formali Deum; vera est major. Sed non alio sensu. Cur enim

non potest dici habitus per se infusus, etiam habitus temperantiae supernaturalis, prout distinguitur ab habitu ejusdem acquisito supernaturali. Quod si dicas eo sensu illum non esse per se infusum: quia requiritur à charitate, tanquam passio à radice, quod expressit Augustinus, dum Sermone 87. in Joannem de Charitate ait, quod non possit haberi sine ceteris bonis, quibus homo efficitur bonus. Hoc sensu etiam habitus pietatis illius affectionis (casu quod daretur de quo infra) non esset per se infusus, sed ad exigentiam totius complementi & oeconomiae fidei.

Obijcit Secundo. Quamvis illa volitio sit supernaturalis non nisi secundum modum, salvari adhuc possunt dicta PP. qui dicunt illam volitionem fieri ex gratia.

Respondetur. Quod non. Ratio, quia ex ordinaria phrasi, quae utuntur PP. contra Pelagianos & Semi-Pelagianos, dum utuntur hoc termino, id est, donum Dei, id est, ex Gratia Salvatoris, semper intelligunt supernaturale quid, quoad substantiam, intelliguntque gratiam ordinis excedentis. Nam & ipsi Pelagiani admittebant gratiam ordinis naturalis, ipsumque esse creatum, appellabant donum gratiae. Et sicut ex dicto Tridentini, quod docet fidem esse donum Dei, recte inferimus, illam esse supernaturalem in substantia, sic etiam ex eo, quia ex Arausicano pius credulitatis affectus, est ex gratia, bene inferimus, illum esse supernaturalem quoad substantiam. Ex illis tribus locis quibus probat Pontius Volitionem illam esse supernaturalem nempe ex ad Phil. 2. *Ipsa est qui operatur in nobis & velle & perficere.* Joannis 15. *Sine me nihil potestis facere.* Ad Rom. 9. *Quid habes quod non accepisti;* ex istis inquam locis inferunt PP. gratiam contra Pelagianos ordinis excedentis. Hinc etiam Pontius debuisset inferre, illam volitionem esse excedentem, adeoque supernaturalem in substantia.

Obijcit Tertiò. Si ille actus foret supernaturalis, praesupponeret cognitionem in substantia supernaturalem, hoc autem est inconveniens: quia inde sequeretur, fidem non esse radicem justificationis nostrae; hoc enim non aliter potest intelligi, nisi quatenus supponitur, quod nullus actus, nec habitus supernaturalis in substantia, praesupponatur fidei.

Respondetur. Ante piam illam affectionem antecedere illuminationem Spiritus Sancti in entitate supernaturalem; & quia utrumque hoc complet fidem ad quam acceptam, adhuc verum erit secundum PP. fidem esse initium & radicem nostrae justificationis; & sicut dispositiones & praerequisita, non debent esse simpliciter ante infusionem formae, ad quam praerequiruntur: ita cum illuminatio & volitio supernaturalis requirantur ante actum fidei, ante illum positum, non dabunt esse simpliciter, adeoque non erunt initium simpliciter, & radix justificationis.

Explicatur natura Pietatis Affectionis.

Obijcit Quintò. Non est explicabile quodnam sit motivum huius pietatis affectionis, & cuius illa virtutis actus?

Respondetur. Motivum istius pietatis affectionis, esse honestatem imperandi actus certissimi, posita sufficienti propositione Veritatis primae, aliquid dicentis. Ratio quia imperium quae tale, debet moveri honestate rei imperandae, quia cum imperium sit quid relativum ad rem imperatam, debet ad honestatem illius attendere, & ab illa specificari, tanquam à suo termino. Ergo & imperium illud voluntatis, respicit honestatem actus imperari.

Hoc motivum non est revocabile ad ullam aliam virtutem. Ratio quia non potest revocari ad fidem, cum praecedat fidem, nec habet pro objecto revelationem, sed honestatem exercitii actus fidei; consequenter non est virtus Theologica; siquidem non habet pro objecto Deum. Non etiam spectat ad virtutem studiositatis ut voluit Valentia, quia studiositas non versatur immediate circa exercitium cognitionis, sed circa appetitum cognoscendi; ne sit nimis vel deses. Non revocatur ad Urbanitatem: quia haec ex Philof. 4. Eth. 5. attendit ad solam Moderationem in ludis.

Afferunt alii, quod pia illa affectio, revocetur ad donum pietatis: vel ex eo, quia donum pietatis est acceptatio praevia consultationis, de non credendo vel credendo: haec enim acceptatio non aliter fit, nisi volendo, sicut consultatio de deambulando, vel non deambulando, non aliter acceptatur quam volendo deambulare. *Sed hoc*

Non Satisfacit. Quia omnia dona ex communi sensu sequuntur Charitatem. Jam autem pia affectio, etiam ipsam fidem antecedit. Rursus ex modo nostro concipiendi, prius est acceptare consultationem de deambulando, quam velle; quia illud velle, est potius effectus acceptationis. Denique pietas, quae est acceptatio praevia consultationis de credendo, vel non credendo, potius est complacentia in fide iam praesupposita; hic autem queritur, de actu imperante fidem, ad quamnam virtutem revocetur.

Commodius itaque dicetur, illum actum spectare ut inquit Arausicanum ad pium credulitatis affectum: nihil enim commodius dici potest & conformius phrasi PP.

Instat Primò. Si ille actus esset specialis, non revocabilis ad alias virtutes, id ideo esset, quia respiceret pro motivo honestatem exercitii actus fidei: sed hoc non convincit: quia alias deberet dari specialis virtus, quae amet voluntatem credendi: sicut datur specialis virtus, quae attendit ad ipsam honestatem exercitii actus fidei: eritque processus in infinitum

R. P.
THE MLOD
ZIANOWSKI
Tom. 1. et 2.
D. VI

in istis virtutibus specialibus, præcipue autem, quia ad eandem virtutem spectat, amare honestatem objecti, & honestatem actus; Ergo cum ad fidem spectet amare honestatem, quæ est assentiendi veracitati Divinæ, ad eandem spectabit amare honestatem illius actus, consequenter, non erit ille actus specialis virtutis.

RESPONDETUR. De specialitate actuum & virtutum, actum, ubi an Pœnitentia sit specialis virtus; hic tantum innuitur: specialitatem virtutum desumi ex specialitate motivi & irrevocabilitate; Hinc quamvis honestas credendi quæ talis, possit diversos actus specificare: quia sunt diversa motiva, nihilominus volitio volitionis credendi, quæ habet honestatem revocabilem ad ipsammet honestatem, volitionis credendi, nec ullam diversam honestatem adfert, quam enim? (quidquid sit quod adferat honestatem, materiale aliam.) Volitio inquam volitionis credenti, non requirit specialem virtutem, proinde non erit processus in infinitum. Spectat autem ad eandem virtutem, amare honestatem objecti & actus, tanquam rationis, Ut quo, versandi circa objectum; sed non spectat ad eandem virtutem, versari circa honestatem objecti & honestatem actus, si versatio circa honestatem actus, sit ratio ponendi illum actum, intra posse proximum, ipsius habitus. Pone enim actum imperatum esse in alia, potentia, & actum imperantem in alia, tunc virtus attendens ad actum imperatum, licet attendat ad illum, tanquam effectum, & modum versandi, Ut quo circa objectum; non attendit tamen tunc ad honestatem sui actus imperati, antecedentem ante illius positionem. Sed ad hanc honestatem attendit potentia vel virtus, quæ est principium actus imperantis. Sic etiam cum actus fidei, sit alius potentia actus, & alius potentia actus, volitio fidei, & cum intra posse elici proximè, non ponatur Actus fidei, nisi volitione honestatis actus, sit ut fides, ad illam non attendat; ipsaque præsuppositio volitionis ante actum fidei ostendit, quod ipsa volitio, non spectet proximè ad habitum fidei.

INSTABIS Secundò. Si credulitatis affectus attenderet ad honestatem fidei, præsupponeret ille affectus ante seipsum; quia ante credulitatis affectum præsupponitur honestas actus fidei, quæ non potest præsupponi, nisi volitio præsupponat seipsam; quia illa honestas actus fidei desumitur à volitione seu credulitatis affectu, cui soli sicut libertas, ita honestas convenit.

RESPONDETUR. Honestatem fidei duplicem esse; quandam morale & hæc fundatur in libertate: quæ libertas non habetur in actu fidei, nisi desumatur à credulitatis affectu libero; qui liberè determinat ad actum fidei: hancque honestatem non præsupponit credulitatis affectus in actu fidei. Alia honestas est entitativa,

importans connexionem prædicatorum actus fidei: & hæc, præsupponitur ante volitionem: pendetque nonnisi à causis connexionis radicalis: hoc est prædicato & subiecto actus. Quod etiam videre est in actu imperato, comparato ad actum imperantem: qui imperans præsupponit entitativam & radicalem honestatem imperati.

INSTABIS Terriò. Ad imperandam fidem humanam, non datur specialis virtus. Ergo nec ad Divinam. Kon. concedit Antecedens. Negat Lugo & Pont. Directè

RESPONDETUR. Quod interdum sit necessarium imperiū voluntatis ad fidem humanam, quando exhibetur assensus certior, quàm hic & nunc exigat ipse modus, præsentans motivum assentiendi: quando autem non exhibetur assensus certior, non erit necessarium imperium voluntatis: nec enim ostenditur, quid supplere debeat illud imperium. Quia autem, ut dictum supra, in fide Divina, semper invenitur quod suppleat illud imperium, sit, ut in fide Divina, semper intercedat. Quando autem ex Aug. deducitur, necessarium ad omnem fidem imperium, ex eo, quia debet dari virtus inclinans ad mediocritatem inter levitatem credulitatis, & inter distinctam duritiam in respuendo omnium testimonio, id non convincit: quia moderamen illud, potest ad prudentiam spectare. Advertit etiam Lugo, quod si simpliciter non admittatur fides humana, prærequirens imperium voluntatis, frustra peteremus ab amicis ut nobis credant.

INSTABIS Quattò. Inexplicabile est, an ille pius credulitatis affectus, sit quid permanens?

RESPONDETUR. Non esse quid permanens. Ratio. Tum quia eorum, quæ sunt in nobis, sine nobis, non dantur ulli habitus permanentes, licet dari possint ut dictum est alibi. Tum quia PP. de hac pia affectione loquentes, semper loquuntur de illa, tanquam gratia actuali. Tum quia Arausicanum 2. Can. 5. ait. *Qui sicut augmentum, ita etiam initium fidei, & ipsum credulitatis affectum, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus S. corrigentem voluntatem nostram, ab infidelitate ad fidem, sed naturaliter nobis inesse dicit Apostolicis dogmatibus adversari probatur.* Ubi piam affectionem non appellat credulitatis habitum, vel posse credulitatis, sed credulitatis affectum; affectus autem, est quid transiens, non permanens.

INSTABIS Quintò. Inexplicabile est an imperium hoc sit positivum, an negativum?

RESPONDETUR. Imperium istud debere esse positivum. Ratio: quia imperium istud, debet esse determinativum ad unum, non habente intellectum, unde aliunde determinetur. Negativum autem imperium, non determinat ad unum.